



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Quæstio II. Quod sit subjectum materiale adæquatum Metaphysicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

6 Disp. I. De Natur. Theolog. naturalis.

simò rerum gradu collocata, quæ supra naturalia, siue, quæ supra naturam sunt, dicuntur, ac nominantur: quo pacto natura definita est initio 2. lib. *physic. cap. 2.*

7. Vltimò hæc scientia omnium scientiarum præstantissima, euidentissima, certissima vocatur, ex eo quod per principia euidentissima circa euidentissimum obiectum versetur.

QVÆSTIO II.

Quod sit subiectum materiale adequatum Metaphysicæ?

8. CVM vniscuiusque rei cognitio, ab eius causis, tanquam à quibus necessariò dependet, venanda sit, & vt ait Aristoteles *prima Posteriorum*, vnquamque rem tum scire maxime dicimur, cum principia eius, & causas cognoscimus; ideo vt Theologiæ naturalis essentiam, & naturam calleamus, ab eius obiecto exordendum esse operapretium duxi, quia omnia genera causarum circa scientiam exercet, vt omnes DD. adnotant, inter quos præcipue D. Thom. 1. 2. *qu. 18. art. 2. ad 2. & quæst. 73. art. 3. ad primum, & lib. 3. contra gentes, cap. 4.* Primò enim efficientis munus exercet circa scientiam, quoniam, vt notat D. Augustinus *lib. 9. de Trinit. cap. vltimo, & lib. 6. de ciuitate Dei, cap. 4.* ex obiecto, & potentia paritur notitia. Secundo causæ finalis, quatenus intentio operantis per habitum fertur in obiectum. Tertio causæ formalis extrinsecæ (causam enim formalem intrinsecam nullam habet scientia, cum ipsa sit forma intellectus) quia cum obiectum sit, à quo sumunt speciem, ac distinctionem scientiæ, merito vocari potest forma extrinsecæ; ab obiecto enim quasi sigillo quodam formatur habitus, & ideo D. Thomas obiectum formam scientiæ vocat 1. 2. *qu. 18. art. 2. ad 2.* Tandem causæ materialis, non in qua, sed circa quam munus exercet, quia sicut ars v. g. lignaria versatur circa lignum, tanquam circa materiam, sic etiam habitus scientificus cognitione scientifica versatur circa obiectum; cum igitur tot genera causarum exerceat obiectum circa scientiam, hand immeritò quidem ab obiecti notitia Theologiæ disputationem exordiamus esse in animum induxi, vt penitus ipsius natura nobis liquidò pateat, rectoque veritatis tramite incedentes scopum rectè colimare possimus.

9. Et quia, vt notauimus in libris de posteriori resolutione, obiectum, & subiectum solent passim, ac sæpius confundi, in præsentem mentem indui, quia vt vniscuiusque naturam cum discrimine, ac distinctione petraçtem, agendo prius de subiecto, postea de obiecti natura disputatur; subiectum autem est pars propositionis, siue conclusionis, in qua aliquid de alio prædicatur, de quo inquit scientia principia, proprietates, & attributa; obiectum enim est aut tota propositio, siue conclusio formalis, aut obiectina, quod ex eo, quod obijcitur scientiæ, vt intelligatur euidenter ab ipsa, obiectum dicitur, id est, quod obiectum est, siue quod obijcitur, vt scientiæ à scien-

tia petraçetur. In præsentem quæst. interrogatur, quod sit subiectum adequatum metaphysicæ, siue per se, siue per accidens, aut aggregationis, in qua sit

SECTIO I.

Vbi sententiæ aduersariorum proponuntur.

10. PRIMA sententiæ asserit, ens creatum reale dumtaxat esse subiectum adequatum Metaphysicæ, ita vt Deus excludatur à ratione subiecti huius scientiæ; sic Flandria *lib. Metaphysicæ*, & multi alij Thomistæ. Et probatur sic primò: De subiecto siue partiali, siue totali debent cognosci causa, principia, & proprietates, sed Deus nullam causam, & principia habet: ergo Deus non est subiectum metaphysicæ.

11. Secundo à nobis sic probatur hæc sententiæ, quia subiectum alicuius scientiæ debet naturaliter cognosci ab ipsa; sed Deus non potest cognosci à scientia naturali naturaliter: ergo Deus non est subiectum metaphysicæ. Minor sic probatur, quia Deus est substantia supernaturalis; sed talis substantia non potest naturaliter cognosci: ergo Deus non potest cognosci naturaliter à scientia. Minor illa siue probatur: Ideo gratia sanctificans non potest cognosci naturaliter, licet sit accidens, ac proinde infinitè distet à Deo, quia est entitas supernaturalis, & idem est de visione beatifica, & lumine gloriæ: ergo à fortiori, si Deus est infinita substantia supernaturalis, non poterit videri, nec cognosci naturaliter.

12. Secundo sic probatur illa minor, quia cognitio respectu obiecti nihil aliud est, quam intentionalis vnio cum ipso; sed vnio intentionalis cum Deo debet esse supernaturalis: ergo cognitio ipsius debet esse supernaturalis, & non naturalis. Minor sic probatur: Ideo enim vnio hypostatica non est naturalis, sed supernaturalis, quia est vnio attingens Deum, & medium, quo Deus vnitur; sed etiam vnio intentionalis est vnio attingens Deum, ac ratio formalis vniendi intentionaliter illum cum natura Diuina: ergo etiam cognitio, quæ vnio intentionalis est, debet esse supernaturalis.

13. Tertio probatur, quia ad cognitionem perfecti obiecti vt vnum, est necessaria cognitio obiecti perfecti, vt vnum, & ad duo, vt duo: ergo ad infinitè perfectum obiectum infinitè perfectæ cognitio requiritur: ergo ad hoc, vt Deus cognoscatur, qui est infinitum obiectum, infinita requiritur cognitio; sed metaphysica non est infinitè perfectè cognoscitina: ergo metaphysica non cognoscit naturaliter Deum.

14. Secunda sententiæ asserit, subiectum materiale adequatum per se, & directum huius scientiæ esse hanc collectionem, ens reale, vt sic, substantiam spirituales, entia per accidens, ens rationis. Ita P. Hurtado in *metaphysica, disp. 1. sect. 2.* & alij, & probatur primò sic: Subiectum adequatum scientiæ habitualis per se constat esse collectionem obiectorum omnium illius actuum; sed obiecta dicta sunt collectio adequata omnium obiectorum, quæ

Quaest. II. de obiecto mater. adequato. 7

per omnes actus metaphysicæ attinguntur : ergo Minor probatur , quia ens in commune , & eius attributa non pertinent ad aliam scientiam , & idem est de substantia spiritali completa , vt de se patet ; de ente vero per accidens sic probatur , quia metaphysica agit de ente per se , cui opponitur ens per accidens ; sed contrariarum est eadem disciplina , & scientia : ergo ad metaphysicam pertinet agere de ente per accidens , quia ad ipsam pertinet agere de ente per se , & eadem ratio currit in ente rationis , quod opponitur enti reali.

15. Confirmatur , quia hic actus , ens rationis habet esse obiectum tantum ; Chymæra est ens rationis , hi actus sunt metaphysici , nulla enim alia scientia alijs vtitur : ergo.

16. Secundò probatur , quia ad aliquam scientiam spectat ponere discrimen inter vniuersales modos entis , & agere de ente communissimo comprehendente ens rationis , & reale ; sed hoc non pertinet ad aliam scientiam , nisi ad metaphysicam : ergo subiectum illius est ens , vt sic conceptum. Minor sic probatur , quia munus vniuersalissimum ad vniuersalissimam scientiam pertinet ; sed sola metaphysica est vniuersalissima scientia : ergo.

17. Tertia sententia est Buridani , Aluarez , & aliorum asserentium , subiectum adequatum metaphysicæ esse substantiam , quatenus abstrahitur à creatà , & increata : & probatur sic , quia substantia , & accidens ita comparantur inter se , vt substantia propter se sit , accidens verò sit propter illam , ita vt sit proprietas illius : ergo subiectum adequatum Theologiæ naturalis , est substantia vt sic , & non aliquid commune substantiæ , & accidenti. Probatur hæc consequentia , quia in nulla scientia subiectum adequatum est ratio communis subiecto , & proprietatibus eius ; nam scientia , quæ agit de homine , & proprietates de illo demonstrat , non habet pro substantia aliquid commune homini , & proprietatibus illius : ergo similiter metaphysica.

SECTIO II.

Aliqua certa notantur.

18. Aduertendum est , duplex esse subiectum alicuius scientiæ , aliud per se , aliud per accidens : Subiectum per se est , cui primò per se , & propriè conuenit ratio formalis obiecti talis habitus , ita vt ratio formalis tali subiecto conueniat propriè , & non impropiè , & per metaphoram , V. g. subiectum per se fidei , non solum est Deus , sed etiam quæcumque creatura reuelata , quia propriè , & non per metaphoram habet rationem formalem fidei , credibilitatem nimirum per diuinam reuelationem ; nam veritates fidei de subiecto creato , non minus certæ sunt , quàm de subiecto increato ; tam certa enim est hæc propositio : *Beata Virgo est mater Dei* , sicut hæc , *Deus est vnus , & vnus* , quia vtrique æquè participat rationem formalem fidei , quæ est dici à Deo , cognoscique per diuinam reuelationem , & Deus æquè verax , & infallibilis est , ita in minimis , sicut in maximis ;

totam enim suam authoritatem , & veritatem amitteret , si vel in re minima falsum dicere posset , & ideo non minus est hæreticus , & amittit totam fidem , qui vnæ ex illis , quam aliam negauerit. Vnde licet in esse rei nō sint æquales , in esse tamen credibilis , & quatenus subsunt diuinæ reuelationi , sunt æquales , ac proinde reuelatio ipsa in vno non est propria , & in altero impropria , cum sit eadem in vtroque ; itaque subiectum per se potentiæ , vel habitus est illud , quod propriè participat rationem formalem illius , ita vt ex vi talis rationis formalis , per se terminet actus talis potentiæ , vel habitus sine dependentia essentiali ab alio , quia in se habet aliquod distinctum esse à quolibet alio subiecto talis habitus , quod sit dignum cognitione , & terminatione illius , vnde sine illo non esset scientia , vel potentia æquè perfectæ , nec terminus relationis transcendentalis , & specificationis illius esset ita adequatus , vt nunc respectu scientiæ.

Subiectum per accidens est , quod non habet propriam rationem formalem illius scientiæ , ad quam comparatur , sed impropriam metaphoricam , vel similitudinariam tantum , & ideo non per se primò , sed per aliud , & vt illud magis manifestetur , terminat actus scientiæ ita dependenter ab illo , vt si tale subiectum , à quo dependet , non esset , nec etiam illud , quod dependet , esset subiectum talis scientiæ , immò absolute ipsa scientia æquè essentialiter perfectæ esset , etiamsi non daretur tale subiectum per accidens. Hæc omnia his exemplis illustrantur : Prædictio , negatio , & homo sunt subiectum intellectus ; sed negatio , & prædictio non per se , quia in se non habent aliquod esse , quod propter se , & non propter positum cognoscatur ; homo autem , quia habet esse dignum , vt propter se ipsum , & non propter aliud cognoscatur à Philosophia , est subiectum per se illius ; item respectu voluntatis Dei discernentis mysterium incarnationis , fuit obiectum per se ipsa excellentia mysterij ; existentia autem peccati Adæ fuit per accidens obiectum talis decreti ; nam tale peccatum non propter se , sed solum quatenus erat occasio subleuandi miseriam hominum , fuit obiectum diuinæ voluntatis determinantis incarnationem ; vnde æquè perfectæ maneret voluntas illa , ac nunc manet , etiam Adamo non peccante. Clarius exemplum , ab omnibusque concessum : Sphæra lignea , aut ænea respectu Astronomi est per accidens subiectum , quia non propter se , sed propter sphæram cælestem agit de illa Astronomia , ita vt licet illa Sphæra ænea non daretur , æquè perfectæ maneret Astronomia , ac est cum illa , quia talis Sphæra non propriam , sed solum similitudinariam rationem formalem scientiæ Astronomicæ continet.

Secundò aduertendum est , subiectum adequatum , de quo latissimè dictum est in Logica , duplex esse : aliud , quod vocatur proprium , & per se aliud , quod vocatur commune , seu aggregationis ; subiectum adequatum proprium , & per se est illud , quod sub se comprehendit solum omnia subiecta per se particularia scientiæ ; & de quibus data opera , & propter se agit illa : itaque aggregatum ex omnibus illis subiectis iure optimo subiectum adequatum per se scientiæ nominatur. Subiectum adequatum

8 Disp. I. De Natur. Theolog. naturalis,

adæquatum aggregationis est, quod non solum subiecta per se, sed etiam omnia illa, de quibus quomodocumque agit scientia, comprehendit, siue contineant per se, siue per accidens, ac improprie rationem formalem talis scientiæ; unde, quod cognoscitur per omnes actus illius, obiectum adæquatum commune vocatur, v.g. supponamus omnes actus Metaphysicæ esse decem, obiectum adæquatum aggregationis erunt decem obiecta, quæ per illos decem actus cognoscuntur.

SECTIO III.

Nostra sententia ostenditur rationibus.

21. **P**rima Conclusio: Prima opinio, quatenus Deum excludit à ratione propria subiecti metaphysicæ, non est probabilis; Deus enim propriissimè subiectum huius scientiæ est, & probatur primò ex Aristotele, lib. 1. *Metaph. cap. 2.* vbi sic ait: Nam ea maxima diuina scientia est, quæ Deum maxime habere par est: & paulò antè: quare meritò non humana eius possessio putabitur: quapropter secundum Simonidem, Deus vtiq; solus hanc habet dignitatem; statim subiungit: Nec aliam, quam huiusmodi decet honorabiliorem putare; quæ enim diuinissima, eadem etiam honorabilissima est. Talis vero bifariam duntaxat vtiq; fuerit; nam & illa, quam maxime Deus habeat, diuina scientiarum est, & si qua est, quæ diuinorum sit, & de diuinis tractet; hæc autem sola utrumque consequuta est: quibus verbis liquidissimè Aristoteles præstantiam, ac excellentiam Theologiæ naturalis ex duobus capitibus, ac veluti fontibus mirum in modum commendat: Primò quia ipsa afficitur, ac decoratur Deus, camque tanquam perfectissimam possessionem diuinitate dignam obtinet sempiternum diuinitatis Numen. Secundò quia de diuinis rebus, de infinitis perfectionibus diuinitatis, ac denique de Deo Optimo Maximo data opera, ac subtiliter pertractat, quod indicat illis verbis Aristoteles: Et si qua est, quæ diuinorum sit, &c. quibus omnibus apertissime tuetur nostram conclusionem. Idem asserit lib. 6. *Met. cap. primo.* Idem defendit quarto, octauo, & 9. *Met. 12.* autem lib. sic ait: Cæteræ itaque omnes necessariae maxime, nulla verò melior Theosophia equidem; nec enim obscurum est, quin sicubi diuinitas existit, in tali scientia existat necesse est, quia de principiis rerum, & altissimis causis agit; Deus etenim tum causa omnibus esse videtur, tum quoddam principium, & talem, aut solus, aut præcipue Deus habet, hoc est, vt D. Thomas, & Boëtius asserunt, Metaphysica, quæ Theologia naturalis est, quoniam de Deo, ac diuinis rebus sermonem miscet, quantum ex lumine naturalis haberi potest, vti prima, & præstantissima Philosophia, in præstantissimo genere, Deo nimirum, versetur necesse est, ipseque in tali scientia tanquam præcipuum subiectum illius inter cætera partialia obiecta, principatum obtineat, tanquam omnium infinite perfectissi-

mum, quod hac ratione demonstrat Philosophus, quia Metaphysica agit, vt ipse lib. primo *Metaph. cap. 2.* his verbis ait, de rebus difficillimis, principiis, & causis, ipsaque contemplatur, quoniam autem hanc scientiam quærimus: hoc vtiq; fuerit considerandum, circa quales causas, & qualia principia scientia, sapientia est. Primò igitur opinatur, sapientem maxime omnia, vt possibile est, scire, non habentem singulariter eorum scientiam; deinde illum, qui difficiliora, neque sciri facilia homini, cognoscere possit, sapientem existimamus; item illum, qui certior, ac magis docere valens, causas reddat, ac principia cognoscat, sapientem in omni scientia esse, sic Aristoteles; sed Metaphysica agit, contemplaturque mirabiliter de rerum omnium causis, ac principiis: ergo agit de Deo, quia omnium rerum causa, & principium; agendo autem de sempiterno diuinitatis numine rem magnis inuolutam obscuritatibus, & ad explicatum longè impeditissimam, laboriosissimamque, rem denique difficilem, atque omnium difficillimam pertractat, in qua non parum operæ consumperunt homines cum ingenio acutissimi, tum studio, & doctrina abundantissimi, quibus fatendum est enim, quam multa præclarè, tam non pauca stultè caris ad posteros propagarunt, quod apertè explicuit Simonides Poëta, de quo cum quæsisset Tyrannus Iero: Quid esset Deus? Deliberandi causa sibi vnam diem postulat; cum idem ex eo postredie quæreret? Biddum petiuit, cum sæpius duplicaret numerum dierum, admiransque Iero quærir, cur ita faceret? Quia quantum, inquit, diutius considero, tantò mihi res videtur obscurior; unde bene concludit Aristoteles dicendo: Sine Metaphysica agat de rerum principiis, siue de difficillimis, de Deo agere necesse est, cuius cognitio difficillima est, ipseque tanquam omnium rerum causa, admirabileque principium debet venerari. Quod etiam repetit ipse Aristoteles lib. 11. *Metaph. cap. 6.* & in actu exercito demonstrat, dum totum duodecimum lib. Metaphysicæ consumit agendo de Deo, eius vita, attributis, & operationibus; quomodo enim adeo latissimè egisset Princeps Philosophiæ de Deo in metaphysica, si non esset eius subiectum? Quod clarissimis verbis explicat D. Thom. dum nostram sententiam confirmat 1. 2. *quæst. 66. ars. 5. in corpore*, vbi sic ait: Obiectum sapientiæ præcellit inter obiecta omnium virtutum intellectualium; considerat enim causam altissimam, quæ est Deus, vt dicitur in principio Metaphysicæ, vbi obiectum simpliciter eius vocatur Deus.

Secundò probatur ratione: Illud est subiectum proprium alicuius scientiæ, de quo talis scientia demonstrat attributa, & proprietates; sed metaphysica demonstrat de Deo essentiam, & existentiam, attributa, & perfectiones: ergo Deus est subiectum illius. Maior est eiusdem: Minor sic ostenditur, quia Deus cognoscitur demonstratione naturali tam quoad esse, & existere, quam quoad independentiam, & cæteras perfectiones; sed hæc demonstratio est Metaphysica: ergo metaphysica demonstrat de Deo existentiam, proprietates, &c. Maior est de fide, attestante D. Paulo ad Rom. capite 1. his verbis: *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt*

22.

Quaest. II. De obiecto mater. adequato. 9

sum intellecta conspiciuntur, ubi omnes D. D. Ecclesiae Theologi vno ore fatentur, D. Paulum asserere, Deum evidenter cognosci naturali cognitione perfectam, tam quoad divinitatem, quam quoad virtutem & perfectiones; evidentiam enim indicant illa verba, *intellecta conspiciuntur, ut in questione 2. Praemiali Logica*, data opera explicuit, videte ibi; quod autem sit naturalis cognitio, de qua loquitur Paulus, patet evidenter, quia D. Paulus contra Ethnicos loquebatur, & dicebat inexcusabiles esse ab ignorantia divinitatis cum haberent media naturalia evidentia, per quae scientia naturalis, & non supernaturalis, acquiritur. Hinc loco D. Pauli consonant etiam talia loca ex sacra Pagina desumpta, quae ibidem ubi supra adduximus, ut Sap. 1. sed clarius alium accipite, illum videlicet Psalm. 138. v. 6. *Mirabilia facta est scientia tua ex me*. Quid clarius his enim & reliquis verbis cognitionem de Deo naturalem cum hac, & alibi sapissime iam scientiam, iam visionem, auditionemque esse sacra Pagina aperte concludunt, ut clarissimam evidentiam ipsius cognitionis naturalis manifestent. Minor sic probatur, quia talis cognitio evidens demonstrativa, est alicuius scientiae actus, cum omnis actus realis ad aliquem habitum acquisitum reducatur; sed illa cognitio non est alterius scientiae nisi illius, sub cuius ratione formali tendit talis cognitio; ergo est cognitio Metaphysica. Maior, & minor evidenter constant; consequentia probatur, quia illa cognitio tendit in Deum sub ratione entitatis essentiae, & perfectionis abstractantis ab omni motu; qui illa est ratio formalis metaphysica, ergo talis cognitio, quae sub tali ratione formali tendit, Metaphysica est. Maior clare patet, minor sic probatur; obiectum formale terminativum Metaphysicae est ens, sub ratione entitatis, & essentiae, ut evidenter patet ex Aristotele, lib. 4. Metaph. c. 1. ubi loquens de metaph. sic ait: Est scientia, quae speculatur ens, prout ens est, id est sub ratione entitatis, & essentiae; & ratio clara hoc evidenter manifestat, quia illa cognitione attingitur Deus, quatenus independens, infinitus, & existens, sed independentia, & existentia, est essentia, & entitas Dei; ergo illa cognitione attingitur Deus, quatenus ens essentia, id est sub ratione entitatis, & entitatis. Ut
 23 getur evidenter hoc totum, quia eo modo est demonstratio, quo sunt principia talis demonstrationis, principia enim sunt obiectum formale propter quod, à quo ultimo sumitur specificatio scientiae; sed principia cognitionis divinae essentiae ac proprietatum Dei sunt Metaphysica; ergo nullius alterius scientiae; ergo demonstratio illa est metaph. Maior evidens est, minor sic probatur, quia principium, per quod cognoscitur Deus naturaliter, & evidenter ex creaturis est hoc: Quicquid producit, ab alio producit, & non illud Arist. Quicquid movetur, ab alio movetur, ut cum communi DD. demonstrat P. Suarez. 2. Tom. Metaph. disp. 29. sect. 1. ergo illa demonstratio, quae fit per tale principium, erit demonstratio pertinet ad Metaphysicam.
 24 Tertiò probatur, quia Deus est cognoscibilis naturaliter ab aliqua scientia naturali, non solum ut principium extrinsecum, sed etiam, ut subiectum praecipuum; ergo haec excellentia pertinet ad Metaphysicam, probatur consequentia, tum quia haec est omnium naturalium scientiarum praestantissima, quae sine vrgente causa non debet hac excellentia privari, tum etiam quia non potest altiori via Deus in hac vita investigari, quam in scientia Metaphysica; cum autem haec scientia sit perfectissima inter omnes naturales, debet necessario speculari subiectum perfectissimum, quia ratio perfectionis scientiae sumitur à subiecto, vel obiecto illius, ut v. g. ratio Theologiae scholastica, quam supernaturalem aliqui vocant sumitur à Deo, & ideo est praestantissimus habitus, quia agit de Deo, qui praestantissimum subiectum est; ergo similiter Theologia naturalis, seu Metaphysica, quae inter omnes pure naturales, nulli que revelationi supernaturali, innitentes praestantissima, & perfectissima scientia est, debet agere de Deo cognitione pure naturali, qui praestantissimum omnium subiectum est, quod autem sit praestantissima, & perfectissima scientia, patet ex Aristotele supra citato, ubi egimus de nominibus Metaphysicae; nam Philosophus ut ibi retulimus ex 6. Metaph. ait esse praestantissimam sapientiam in praestantissimo genere versantem.
 Ultimo probatur, quia prima Philosophia, ut est Metaphysica, debet agere de prima causa, & primo principio simpliciter, in quo distinguitur à secunda Philosophia, quae agit de secundis causis, v. g. de causis entis naturalis, materia scilicet, & forma, causa efficiens secunda, sed ratio primae causae, ac primi principij omnium rerum simpliciter, cadit in solum Deum; solus enim est prima causa efficiens, Primus seu Supremus finis omnium rerum, primumque cuiuscunque rei exemplar, quod est prima causa formalis; materialis autem, & formalis intrinseca, ut est anima, & corpus, non sunt simpliciter primae, nisi comparatione rerum sensibilium: Item debet agere de omnibus principiis complexis primis, alias non erit prima scientia; haec autem prima principia videlicet impossibile est idem simul esse, & non esse, quodlibet vel est vel non est, & inter propria, quidquid producit, ab alio producit, ens habet essentiam, cuius conceptus primus est non repugnare existere, sub se, & per se comprehendunt Deum; nam etiam in Deo debent verificari, & omnes Auctores fatentur; ergo prima Philosophia, quae est Metaphysica, agit de Deo, ut de subiecto: maior praecipua sic probatur ex Aristotele lib. 1. Metaph. cap. 1. ubi agens de Metaphysica sic ait: Id autem, cuius causa nunc sermonem instituimus, ea est, quae sapientia nominatur, circa primas causas, & principia omnium illud est versari; quod igitur circa primas causas, principiaque versetur sapientia, perspicuum est.
 Secunda conclusio rationis non est subiectum per se primum Metaphysicae, & directum illius; unde collectio illa, à P. Hurtado assignata, quatenus comprehendit ens rationis, est falsa, quia talis collectio non est per se subiectum adequatum huius scientiae.
 Probatur, sic primo: subiectum per se scientiae est terminus relationis transcendentalis essentialis, & realis scientiae; sed ens rationis non potest esse terminus relationis transcendentalis scientiae realis, quae est Metaphysica; ergo ens rationis non est subiectum per se metaph. Maior est evidens, concessaque ab adversariis, ut videtur est in Logica, quae dicit relationem transcendentalem ad actus intellectus, ut dirigibiles;
 Philo

R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

Philosophia ad ens mobile, seu ad corpus de prædicamento substantiæ, & Theologia ideo dicit ordinem transcendentalem ad Deum, quia Theologia habet pro subiecto ipsum, & ratio evidens est, quia ex subiecto, & ex ratione formali constat unum obiectum integrum essentialiter specificans, & constituens extrinsecè scientiam in suo esse essentiali; sed illud, quod est constitutivum, & specificativum essentialiter scientiæ, est terminus relationis transcendentis illius, quia illa relatio est specificati, & constituti essentialiter ad specificans, & constituens essentialiter; qui constitutus, & specificatus est subiectum sub tali ratione formali: ergo subiectum est terminus, &c. Minor sic probatur, quia illud quod dicit relationem transcendentalem ad aliquid, dependet essentialiter ab illo, ad quod dicit talem relationem, ut ex verbis ipsius P. Hurr. patet in *metaph. disp. 15. sect. 9. n. 84.* ubi sic ait: Nulla res independens à suo termino dicit ordinem transcendentalem ad illum; sed Deus est independens à creaturis: ergo non dicit relationem transcendentalem ad illas; sic ille, sed ens reale non dependet essentialiter ab ente rationis: ergo ens reale, v. g. *Metaph. non dicit relationem transcendentalem ad ens rationis.* Minor sic probatur, omne illud, quod dependet essentialiter ab aliquo completo, & quod non est pars illius essentialiter, est imperfectius illo, à quo essentialiter dependet, ut satis demonstratum manet in *logica, q. de obiecto formali illius*; ideo enim Deus, quia ab illo omnes creaturæ dependent essentialiter, tum tanquam à causa efficiendi, tum tanquam à causa finali, est perfectior essentialiter omni creatura, & accidens imperfectius est essentialiter substantiæ, quia ab illa, ut completa dependet essentialiter accidens; ipsum enim gratia substantiæ sit, ac proinde est substantia causa finalis illius. Deinde quia nulla alia ratio est, quare omnes creaturæ sublunares efficiantur imperfectiores homine, nisi quia homo est finis omnium illarum: ergo quæcumque dependentia ab aliquo completo in suo esse arguit evidenter imperfectionem, & inferioritatem respectu illius, à quo dependet; sed impossibile est, quod ens rationis sit perfectius essentialiter ente reali, cum totum esse entis rationis sit fictitium, & apparens essentialiter: ergo.

27 Dices dependentiam alicuius ab aliquo extrinsecò, non indicare talem imperfectionem.

Contra, quia Deus extrinsecus est respectu creaturæ, & nihilominus ex eo quod creaturæ petunt essentialiter dependere à Deo, sunt essentialiter imperfectiores ipso. Item homo, ut finis extrinsecus est respectu cæterorum animalium, & nihilominus cætera animalia sunt imperfectiora homine, quia dependent ab homine tanquam à fine; natura enim ordinatè procedens imperfectiora facit media fine, & ratio à priori est, quia omnis dependentia dicit indigentiam respectu illius, à quo datur talis dependentia; unde consequenter dicit inferioritatem respectu illius in ordine ad quod habet talem indigentiam. Explicatur exemplis; pauper enim dum elemosinam petit à divite, quia indigentiam habet respectu illius, dum ostendit illam, ostendit simul inferioritatem respectu divitis tum nutibus, tum summisionibus, & quia vassallus respectu Regis habet dependentiam, & indigentiam, dicit inferioritatem quam summisione, reverentia, ac ge-

nuflexione clarissime manifestat; item quia dependentia illa est ratio constitutiva effectus in ordine ad causam; effectus autem respectu causæ est imperfectior, in ea ratione, qua effectus est, ut probavimus in *tractatu de principiis*, agentes de illo, propter quod unumquodque tale, &c.

Quod autem dependentia constituat effectum non esse effectus, patet clare in Verbo divino, quod ex eo solum, quod non dependeat à Patre æterno, licet producat per propriam actionem, ut aurumant multi Thomistæ, non est effectus Patris.

Dices, scientiam esse qualitatem spirituales, ac propterea esse perfectiorem quantitate, & nihilominus scientia, quæ agit de quantitate dependet ab illa tanquam ab obiecto, & non obstante hac dependentia scientia perfectior est quantitate; ergo similiter licet scientia dependeat ab ente rationis, cum hac dependentia sit in ordine ad obiectum, non arguit scientiam esse imperfectiorem ente rationis.

Contra, quia scientia licet perfectior sit in una ratione, quantitate, v. g. in esse spiritualis, &c. nihilominus in ea ratione, qua dependet à quantitate tanquam ab obiecto, imperfectior est ipsa quantitate; nec mirum est, duo entia realia se ita habere ut unum respectu alterius se habeant tanquam excedens, & excessum ad invicem in varijs rationibus, v. g. gratia sanctificans supernaturalis licet sit perfectior in esse supernaturalis substantia naturali, nihilominus quia substantia est ens per se, à qua dependet gratia, quia est accidens, ideo in hac ratione est imperfectior substantia: unde accidens in ratione supernaturalis excedit substantiam; exceditur autem ipsa à substantia in esse entis per se, & independentis: & ratio illius est, quia quantitas se habet in illa ratione, tanquam vera causa scientiæ, & scientia tanquam effectus ipsius, cum scientia essentialiter dependeat à quantitate, & indiget indigentiam essentialem, quam habet respectu quantitatis: quantitas est omnino independens à scientia, & ideo se habet scientia & quantitas tanquam excedens, & excessum in diversis rationibus; ea enim est conditio rerum creatarum, ut simul habeant in maiori sua perfectione admixtam imperfectionem, quia nulla creatura est, quæ sit perfectio simpliciter simplex; unde licet una creatura ratione perfectionis excedat aliam; ratione autem imperfectionis exceditur ab altera. Exemplum mirificum est respectu hominis, in Angelo; Angelus enim quam plurimis perfectionum charismatibus excedit hominem, & nihilominus Angelus exceditur ab homine, in fecunditate substantiali, qua communicat se homo homini; homo enim alterum hominem substantialiter producit; unde capax est filiationis substantialis respectu hominis, quæ maxima perfectio est, quamque participat à Deo; Pater, enim communicat suam substantiam filio, generatque ipsum; hac autem perfectione caret Angelus, quia substantialiter non potest generare: unde pondera perfectionum, & imperfectionum librantur æqua lance, in homine, & Angelo, sicut in omnibus creaturis; nec mirum, inquam, cum omnes creaturæ conveniant univoce in ratione entis realis, quod possint se ad invicem superare, ut videre est in quantitate, & scientia.

Hoc omne sic convincitur; quia illa relatio, & dependentia, quam dicit scientia, respectu quantitatæ

Quaest. II. De obiecto materiali, &c. 11

quantitatis scibilis, est relatio mensurati ad mensuram, ut ait Aristoteles in *prædicamento relationis*; sed mensura est perfectior mensurato, ut fert axioma evidentissimum; Quod est perfectius in vnoquoque genere, est mensura cæterorum: ergo, à posteriori si cognoscibile respectu cognitionis est mensura in genere cognoscitivo, evidenter patebit esse perfectius cognitione; & ideo scientia dei nec mensuratur à scibili, nec potest dicere relationem transcendentalem ad ipsum, nec dependentiam respectu creaturarum in esse obiecti, quia quaecumque mensuratio, siue relatio dependentiæ, licet sit ut ab efficiente, siue à finali, siue ab obiecto, dicit imperfectionem, & inferioritatem in dependente, respectu illius à quo dependet, sed ens reale minime potest esse imperfectius ente rationis, quia ut communis fert opinio, cum omnino sit ens rationis fictum & apparens, absolute, & simpliciter imperfectius est omni ente reali, quod est verum, & simpliciter ens, ad cuius similitudinem, & apparentiam fingitur ens rationis, unde, vel nullam veram convenientiam dicit, ut certius est cum ente reali, quia quod verum non est, cum nullo potest verè convenire, nec habere veram convenientiam cum aliquo; nam, ut commune fert proloquium Iurisperitorum, non entis nullæ sunt qualitates, sed ens rationis, verè, & simpliciter non est ens: ergo verè, & simpliciter nullas habet qualitates convenientiæ, vel disconvenientiæ, &c. vel ut alij asserunt convenientiæ, quam dicit, minime est univoca, sed analogæ, ita ut analogatum imperfectius in omni ratione, & in omni genere, ac in omnium denique sententia sit ens rationis, quia communis omnium (nullo excepto) consensus addit, asseveranterque affirmat, in omni genere ens rationis esse imperfectius simpliciter ente reali: ergo minime potest ens reale dependere ab illo, quia in nulla ratione potest esse imperfectius, & inferior respectu entis rationis: confirmatur, quia relatio specificationis, quæ dicit Metaphysica ad suum obiectum per se est relatio realis; nam cum illa relatio transcendentalis sit de essentia scientiæ realis, non potest esse ens rationis, quicquid enim est de essentia entis realis adequatè, ut est relatio transcendentalis respectu scientiæ, necessariò est quid reale, cum sit idem cum constituto ab ipsa, alias tale constitutum esset, & non esset reale; sed inter scientiam realem, & terminum rationis non potest dari relatio realis: ergo inter Metaphysicam & ens rationis non datur talis relatio. Minor sic probatur, quia si illa relatio esset ens reale, esset quid absolute bonum, quia bonitas non absolute, sed absolute realis est attributum entis realis, quæ convertitur cum illo; sed illa relatio non potest esse ens bonum reale absolute: ergo non potest esse relatio realis. Maior evidens est; minor sic probatur, quia bonum ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu; sed illa relatio non esset realis ex integra causa seu principio, cum terminus essentialis specificativus talis relationis, qui est principium, & causa à qua dependet essentialiter talis relatio non sit realis, sed rationis: ergo illa relatio non erit absolute bona ex integra causa, cum ex vna tantum causa, sit talis, unde erit absolute mala, id est rationis, cum sit deficiens absolute in ratione entis, ut apparens diminutum, & fictitium, *ma-*

R. P. Ildeph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

lum est Metaphysica, sicut quod deficit moraliter malum moraliter est, ut odium Dei & quodcunque peccatum.

Exemplis illustratur hæc veritas; nam inter materiam realem substantialem, & formam rationis non potest dari unio realis, ut omnes scholastici fatentur, nullo excepto, alias compositio ex ente reali, & rationis esset compositio realis, & compositum ex illis esset reale; unde chymæra, quæ constat ex materia reali, & forma rationis erit ens reale, quod est Chymæricum & absurdum, & ratio quæ ab omnibus adducitur, hæc est, quia talis unio dependet ex utraque parte, & cum non sit ex utraque parte, seu extremo realis, non debet esse in se realis: bonum enim, &c. tum sic: Illa unio est relatio transcendentalis; sed per vos, quia talis relatio non est ex utroque extremo realis, cum terminus sit ens rationis, non potest ipsa esse realis: ergo relatio transcendentalis scientiæ, cum non sit ex utroque extremo realis; si quidem terminus illius est ens rationis, non erit in se relatio realis sicut etiam relatio, quæ datur inter formam realem, & materiam rationis non est relatio realis, partis ad partem, ut est illa, quæ datur inter materiam realem, & formam realem. Præterea inter hominem, & Chymæram non intercedit distinctio realis, quæ relatio est solum, quia unum extremum est rationis, nec inter albedinem parietis, & Chymæram datur relatio realis similitudinis, & relatio quæ datur inter univærſalem, & particularia ut inferiora est relatio rationis; Et non realis, quia talia inferiora, non sunt inferiora realia, sed per rationem: ex quibus omnibus exemplis colligitur manifestè & evidenter omnem relationem ad hoc ut sit realis, debere esse inter extrema realia, unde inter unum extremum reale, & aliud rationis relatio est rationis, & non realis, siue sit transcendentalis, ut unio, de qua diximus, siue prædicamentalis, ut similitudo: ergo relatio, quæ datur inter scientiam realem, & terminum rationis, necessario erit rationis, & non realis.

Secundo principaliter probatur, quia ab omnibus sic Thomistis, sequentibus D. Tom. 1. part. 1. quaest. 13. & 2. contra gentes, q. 7. de potentia, & multis alijs in locis, quàm ab Scotistis sequentibus Scorum. In primo asseritur Deum non dicere relationem transcendentalem ad creaturas, & eorum omnium ratio est, quia illa quæ dicunt huiusmodi relationem vel debent esse inferiora respectu illius, ad quod talem relationem dicunt, vel debent esse eiusdem ordinis & rationis cum illo, & ideo licet accidens dicat transcendentalem ordinem ad substantiam, & modus ad rem cuius est modus, attramen, nec substantia dicit relationem transcendentalem ad accidens, nec res ad modum suum, quia nec substantia, nec res sunt eiusdem ordinis, & rationis cum illis; substantia autem dicit relationem transcendentalem, ad aliam, quia sunt eiusdem ordinis inter se. Unde cum Deus, nec sit eiusdem ordinis, & rationis cum creaturis, nec sit inferior respectu illarum, non potest dicere relationem transcendentalem ad illas: tum sic, minus potest dici, quod ens reale sit inferioris, aut eiusdem ordinis, seu rationis, cum ente rationis, quam Deus respectu creaturarum; ergo minus potest dici, quod ens reale ordinetur ad ens rationis relatione transcendentali, quam Deus ad crea-

B 2. tunc

turas: consequentia est evidens, antecedens sic probatur, quia maiorem convenientiam dicit Deus cum creaturis, quam ens reale cum ente rationis, & maior distantia est inter ens reale & rationis, quam inter Deum, & creaturas, ac per consequens maiori perfectione superatur ens fictum ab ente vero & reali, quam ens creatum ab increato; & ratio à priori est, quia ubi datur maior convenientia, minor excessus perfectionis reperitur; cum autem in sententia Scotistarum, quam ego libenter sequor, creatura, & Deus convenientiam univoce, in ratione entis realis, & in sententia D. Th. convenientiam analogice proprie, & intrinsece, cum participant eandem rationem entis, ut sic, in nullius autem sententia ens rationis, & precipue in sententia P. Hurtad, convenit univoce, imo, nec analogice proprie, nec habet propriam, & veram convenientiam aliquam cum ente reali, inde est quod minus convenient, quam Deus & creatura, & magis excedatur ens rationis ab ente reali, quam hæc ab illo, ergo minus potest dici, quod ens reale sit eiusdem vel inferioris ordinis, &c.

33 Dices ideo Deum non dicere relationem transcendentalem ad creaturas, non quia est superioris ordinis, sed quia absolute est incapax talis relationis realis.

Sed contra, quia Deus non est absolute incapax respectu cuiuscumque termini relationis realis intrinsece constitutivæ, cum in divinis datur relationes tres intrinsece constituentes tres personarum; ergo Deus solum est incapax relationis respectu rerum, cum quibus non est æqualis, sed potius superior respectu earum, & ideo, Pater qui est verus Deus, dicit relationem ad Filium quia est æqualis Patri, & Pater, & Filius, ad Spiritum Sanctum, inter quos summa splendet, ac refulget perfectionis æqualitas, ergo evidenter sequitur Deum non carere relatione ad creaturas, quia Deus sit incapax, absolute in se relationis realis, cum hoc manifeste, ac liquido falsitatis convincatur exemplo relationum, quæ in divinis reperiuntur, sed potius propter imperfectionem, & inferioritatem creaturarum, ratione cuius non possunt terminare relationem realem Dei ad se ipsas.

34 Dices ideo Deum non posse dicere relationem ad creaturas, non quia est superioris ordinis respectu earum, sed quia omnis relatio, intrinsece constitutiva, & transcendentalis arguit dependentiam in eo in quo datur talis relatio, & cum Deus non possit habere dependentiam, quia est omnino independens, cum sit ens à se infinitum, ideo non dicit relationem realem ad creaturas.

Contra primo, ergo etiam ens reale non potest dicere relationem transcendentalem realem ad ens rationis, quia ens reale ut supra efficaciter probavi, non dependet villo modo essentialiter ab ente rationis; quia ubi est eadem ratio formalis est idem effectus, vel quasi effectus formalis, cum autem tota ratio formalis quare Deus nō dicit relationem transcendentalem ad creaturas, sit quia est independens ab illis, ens reale in quo damus rationem illam formalem independentiam respectu entis rationis habebit eundem effectum formalem, scilicet negationem relationis transcendentalis ad ens rationis.

35 Secundo, quia falsissimum est dicere omnem relationem intrinsece constitutivam arguere de-

pendentiam in relato à suo termino, Pater enim æternus dicit relationem intrinsece constituentem ipsum, in esse Patris respectu Filij, & ideo transcendentalis vocatur, quod non habet relationis spiratoris activi in ipso Patre, & Filio, cum supponat personas constitutas per modum unius principij, & quia, quasi advenit illis constitutis in esse personarum, dicitur prædicamentalis aliquo modo, & nihilominus relatio Patris, Filij, & Spiritus Sancti sunt sine aliqua dependentia Patris, ergo bene poterat dari relatio huiusmodi, sive vocetur, sive non, transcendentalis in Deo respectu creaturarum sine aliqua dependentia ab ipsis quatenus est omnipotens, ideoque primum reale creaturarum, ac per consequens poterat talis relatio essentialiter constituere Deum omnipotentem in ordine ad creaturas, sine imperfectione dependentiæ, sicut sine tali imperfectione Pater constituitur, per relationem Patris, in ordine ad Filium, & nihilominus non datur talis relatio in Deo, & hoc non propter dependentiam quam necessario diceret illa, cum ut demonstravimus, possit salvari relatio realis sine dependentia, ergo ratio adæquata, quare non datur est illa, à D. Thom. & Scotto assignata, scilicet quod non sit eiusdem ordinis, aut inferioris rationis cum creaturis, sed minus potest dici, quod ens reale sit eiusdem ordinis, & inferioris rationis, cum ente rationis, ut iam supra probatum manet, ergo nullum ens reale dicit relationem transcendentalem specificationis ad ens rationis.

Declaratur, hæc secunda impugnatio solutionis clarissimo, & evidentissimo exemplo, quotorum adversariorum effugium funditus labefactatur, nam anima rationalis in omnium sententia dicit relationem transcendentalem ad materiam primam, & nihilominus non dependet ab illa, ergo relatio transcendentalis, non arguit dependentiam in relato, unde falsum erit dicere, ideo non dari relationem transcendentalem in Deo ad creaturas, quia argueret dependentiam in ipso respectu illatum. Tercio sic 37 impugnatur solutio adversariorum, autoritate & ratione D. Th. nam D. Th. in physicis hac ratione desumpta ab Aristotele demonstrat, ut ipse ait, potentiam materiæ primæ esse substantialem, quia dicit relationem transcendentalem per quam specificatur essentialiter à forma substantiali, e contra vero non potest specificari, ait D. Th. ab actu accidentali, quia potentia specificata, & terminus specificans essentialiter debent esse eiusdem rationis, & ordinis, ergo si actus specificans potentiam materiæ primæ est forma substantialis, potentia ipsa debet esse substantialis, & non accidentalis, ex quibus sic argumentor; Maiorem proportionem habet potentia substantialis realis creata, cum actu accidentali reali, quam ens reale cum ente rationis, ergo si potentia substantialis, non potest specificari ab actu accidentali, alias non substantialis, sed accidentalis esset, & quia specificatur ab actu substantiali, potentia specificata est substantialis, minus igitur poterit ens reale specificari essentialiter ab ente rationis, quia non sunt eiusdem ordinis, & rationis, imo minorem proportionem habent inter se, quam accidentis, & substantia, imo, si ens reale specificaretur essentialiter ab ente rationis, non ens reale, sed ens rationis esset specificatum, quia terminus specificans, non est realis.

Quaest. II. De obiecto mater. adequato. 13

sed fictus & per rationem, inde solum potest specificari ens reale ab ente reali, & ens rationis ab ente rationis, sicut substantia à substantia, & accidens ab accidenti.

38. Tertiò probatur principaliter, quia illud est subiectum per se, & primum alicuius scientiæ, quod continet in se propriam rationem formalem illius, & non similitudinariam, & apparentem, sed ens rationis non continet propriam rationem formalem terminativam metaphysicam, sed tantum similitudinariam impropriam, & apparentem, ergo non est, &c. maior patet, ideo entitas vocis non est subiectum per se logica, quia illa non habet propriam rationem formalem, quæ est dirigibilis logica, sed similitudinariam, & in omnium sententia præra lignea, non dicitur per se proprium obiectum astronomiæ, quia non continet propriam rationem (pharæ celestis formalem) talis scientiæ, sed solum similitudinariam, & impropriam, & ratio evidens à priori est, quia cū ratio formalis alicuius scientiæ sit id ratione cuius subiectum terminet actum talis scientiæ, si illud subiectum habuerit impropriam rationem talis scientiæ improprie, & non per se terminabit actum illius, minor præcipua sic probatur: ratio formalis terminativa metaphysicæ, est entitas ut talis est, sed ens rationis non habet propriam, & veram entitatem, sed similitudinariam, cum sit ens fictum improprium, & ad similitudinem veri entis factum apparens, quia tantum habet esse dum apparet, ac si esset, quod verè non est, ergo rationis ens non continet propriam rationem formalem terminativam metaphysicam; minor & consequentia evidenter patent, maior iam probata est ex Aristotele, & postea latius demonstrabitur.

39. Ultimo principaliter probatur, quia illud subiectum, quod talem dependentiam habet ab alio, ut tota cognitio illius sit in ordine ad perfectionem, & clariorem cognitionem alterius, id est in tantum cognoscatur à scientia, in quantum conducit ad cognitionem alterius, ita ut nisi ad hoc deserviret minimè cognoscere à tali scientia, est subiectum per accidens, & non per se intentum ab illa, sed ens rationis talem dependentiam habet ab ente reali, ut tota cognitio illius sit in ordine ad clariorem, & perfectius cognoscendum ens reale, nam licet entia rationis, aliquo modo considerentur in scientia reali, tamen hoc est, ut eius cognitione subiectum reale magis illustretur, unde non propter se, sed propter quandam proportionalitatem, quam habent cum entibus realibus, & ut ab eis distinguantur, utque clarius & melius concipiantur, quam habeant entia realia entitatem, & quomodo etiam alia entia non habeant entitatem realem sed apparentem, ut ex hac comparatione clarius, & dilucidius intellectus, sine confusione aliqua procedat in cognitione quidditatis, & essentia veræ, & non attribuat intellectus entitati apparenti, & fictæ propter fallaciam sophismatum veram, & propriam rationem entis, cum nō habeat nisi apparentem, & etiam ad declarandas proprietates entis realis, quæ à nobis non satis concipiuntur & explicantur, nisi per huiusmodi entiarationis, ac per analogiam, & similitudinem ad illa, sicut excellentiam divinam, & Angelicam non possumus nisi per res corporeas explicare, ex alia autem parte cum

ipsum ens rationis non habeat aliquod verum, & proprium esse distinctum quidem ab ente reali, non est dignum ut proprie, & per se cognoscatur à scientia reali, probatur nunc breviter quod non sit primum subiectum: ideo creatura respectu scientiæ divinæ non potest esse obiectum primum, nec respectu etiam visionis beatificæ, & hoc in sententia omnium Catholicorum: solus enim Deus est subiectum primum, quia creatura non convenit cum Deo, in ratione cognoscibilis æqualiter intra eundem ordinem, & rationem, sed minus convenit ens reale cum ente rationis, in ratione cognoscibilis, ergo à fortiori ens rationis non potest esse obiectum primum per se respectu scientiæ realis, cum scientia realis habeat pro obiecto ens reale.

Tertia conclusio, subiectum adequatum metaphysicæ non est substantia solum ut sic, hæc est communis DD. sententia, estque contra P. Hurt. sed probatur, primo autoritate Aristotelis lib. 6. *Metaph. cap. 1.* ubi sic ait, prior scientia, & prima Philosophia erit, atque adeo sic univ ersalis, ad eamque pertinebit de ente quatenus ens est, & quid illud sit, quæque illi univ erse, quatenus ens est convenient considerare, & lib. 4. c. 2. sic ait, unus sensus unius obiecti, & eorum, quæ sub ipso continentur, ita unam scientiam hanc speculati ens in quantum ens, & species eius, & species specierum, quibus locis expressè ait Aristoteles agere metaphysicam de ente univ ersaliter, quatenus comprehendit omnia entia, ergo non agit adequatè de substantia solum.

Hic locis respondet P. Hurtado *disp. 1. sect. 3.* in metaph. Aristotelem non agere de ente secundum communem rationem entis, sed reduplicare rationem formalem substantiæ verbis citatis.

Sed contra, quia Aristoteles loco ab Hurtado allegato, qui est principium *capitis primi*, lib. 4. *Metaph.* sic ait, Philosophia est scientia, quæ contemplatur ens, quæ ratione est ens, & ea quæ per se huic insunt, nulla enim cæterarum de ente, quatenus est ens agit univ erse, sed partem eius aliquam singulæ abscondentes contemplantur, ut mathematica, ubi ait clarissimè de ente agere metaphysicam univ ersaliter, & de omnibus, quæ insunt per se illi, cæteræ autem scientiæ, non de ente in univ ersum, sed partibus illius entis ipsi per se subiectis, ut mathematicæ, partes inquam vocat, non integrantes, sed potestativas, explicans autem ipse Aristoteles, quæ insunt enti per se; ait esse partes quas abscondunt Mathematicæ ad considerandas illas tanquam obiectum proprium; hoc autem nihil aliud est, quam quantitas, inquit Aristoteles, quantitas, enim est obiectum Mathematicæ, sed quantitas, quæ est accidens non inest per se substantiæ, accidentaliter enim convenit substantiæ quantitas, item, quia illud, quod inest per se alicui, est inferius essentialiter respectu illius, participando essentiam eius in ordine ad quod est inferius, & pars potestativa, & ideo, ut ait Aristoteles in prædica, mentis homo in est per se animali, & ut ait D. Aug. Petrus inest per se essentialiter substantiæ, animali, & homini, quia participat essentialiter ratione substantiæ animalis, & hominis, sed quantitas, nec est inferior essentialiter nec participat essentiam substantiæ, ergo substantia non est ens, de quo hic agit Aristoteles, & pronunciat Metaphysicam illud speculati, cum enti de quo Metaphysicæ, ut de sub-

B 3 iecto

iecto adequato agit, inquit per se quantitas.

43. Clarius hoc convincitur quia dividens Aristoteles *lib. 4. Met. cap. 2.* ens illud quod obiectum Metaphysicæ vocaverat, & de quo egerat data opera *cap. 10. illius 4. lib.* sic ait, alia dicuntur entia, quod substantia sunt, alia quod substantiæ affectiones, ut sunt accidentia, alia quod via ad substantiam, ut est actio productiva illius, sed substantia ut sic non potest dividi in substantiam, & accidentia, alias accidentia etiam essent substantia, membrum enim dividens participat essentiam divisi, alias esset mala hæc divisio Aristotelis & non recte tradita, sicut esset v. g. hæc, animal aliud animal, aliud lapis, nam illa est mala divisio, quando vnum membrum est ipsum divisum, & aliud membrum est, quod minime participat essentiam divisi, nam si per vos substantia est illud ens, de quo egerat Aristoteles, *cap. 1. citato*, & substantiam quia tale ens est, *cap. 2.* dividit in substantiam, & accidentia, ipsam substantiam in se ipsam, & in accidentia, quæ non participant essentiam substantiæ divider inapte, & incongrue; absurdum ergo ens illud quod est subiectum Metaphysicæ, & quod vocatur ens, ut ens non reduplicat supra substantiam, sed supra communem rationem entis, quod præterea sic explicatur, nam de ente eiusmodi *cod. cap. 2.* dicit Aristoteles converti, & reciprocari cum vno, his verbis, iam vero ens, & vnum idem sunt nihil aliud esse vnum præter ens, sed substantia non convertitur, aut reciprocatur cum vno, cum falsa sit hæc conversio, substantia est vnum, ergo vnum est substantia, sicut falsum est dicere homo est animal, ergo animal est homo, & a fortiori magis falsum erit, nihil aliud est animal, quam homo: ergo ens ut ens in sententia Aristotelis non est substantia, cum dicat Aristoteles nihilque aliud esse vnum præter ens, quod clarioribus verbis asseruit in *fine capitis 2. lib. 4.* sic igitur inquit entis, ut ens est, & eorum quæ illi, quia sit ens, conveniunt ad vnam scientiam, consideratio pertinet quodque non substantiarum modo, sed eorum etiam, quæ illis conveniunt eadem sit contemplatrix ex se, quomodo explicans ipse Aristoteles, quid sit ens, ut ens de quo agat Metaphysicæ, ait non solum esse substantias, sed etiam accidentia, id est esse rationem communem tam accidenti, quam substantiæ, quod convincit D. Thom. *lect. 1.* explicans mentem Aristotelis quando dixit *lib. 4. Metaphysicæ*, quod vna scientia contemplatur ens, ut ens, his verbis: hic ostendit Aristoteles quod ista scientia non sit aliqua particularium scientiarum tali ratione, nulla scientia particularis considerat ens universale in quantum huiusmodi, sed solum aliquam partem divisam, sicut scientiæ Mathematicæ speculantur ens quantum; scientia autem communis considerat universale ens, & sic primo ostendit, quod huius scientiæ est considerare, tam de substantiis, quam de accidentibus, circa quod utitur tali ratione, quæcumque communiter vnius recipiunt prædicatum licet non vni voce, sed analogice de his prædicetur, pertinent ad vnius scientiæ considerationem, sed ens hoc modo prædicatur de omnibus entibus, ergo omnia entia pertinent ad considerationem vnius scientiæ, quæ considerat ens in quantum ens, scilicet tam substantias, quam accedens, sic Angelicus Doctor ecce clarissime Aristoteles,

ecce liquidissime D. Th. aperte contradicentes, non modo verbis, sed rationibus etiam Patri Hurtado; D. enim Th. clare convincit Aristotelem dum dixit ens a quantum ens, non reduplicare supra substantiam, sed supra ens universale, & commune substantiæ, & accidenti; quod evidenter probatur, ac manifestissime demonstrant: verba, quibus usus fuit Philosophus, & reduplicaciones quas fecit ad hoc negotium manifestandum præcipue illa, atque adeo sic universale prima Philosophia erit, ad eamque pertinebit de ente quatenus est ens, & quid illud sit, quæque illi universe, quatenus ens est, conveniat considerare, nam primo reduplicaciones illas, as in quantum ens universe minime possunt intelligi de substantia, quia talis reduplicatio continet totam latitudinem entis, sicut reduplicatio hæc: animal in quantum animal universe est vivens sensibile; non potest aliquis sanæ mentis dicere talis reduplicacione significari hominem tantum, licet sit præcipua species animalis, et sic, nam illa verificatur in omnium sententia de omnibus speciebus per se contentis sub animali ut sic, quia verificatur de ipsa ratione communi, ad omnes illas species; similiter hæc propositio homo in quantum homo est subiectum Philosophiæ, non verificatur de aliquo, de Petro, vel de Paulo, sed de tota latitudine individuorum in communi, vel ut melius, & clarius loquar, de communi ratione hominis, ut sic, quatenus omnia individua sub illa contenta comprehendit; ergo similiter, quando Aristoteles utitur hac reduplicacione, ad ostendendum subiectum Metaphysicæ ens in quantum ens universe non potest dici loquutum fuisse Philosophum, de quodam inferiore entis ut sic, de substantia videlicet, cum universalis reduplicatio, ut patet ex dictis, indicet totam amplitudinem subiecti reduplicati, continentis omnia inferiora simul, vnde dum dicit Aristoteles Metaphysicam contemplari ens ut ens, nihil aliud sonat, æquivaletque nisi huic propositioni: Metaphysica agit de ente ut sic sub omni sua amplitudine, quatenus comprehendit omnia entia realia, tam creata, quam in creata, tam substantiam quam accedens, tam modos, quam res, quod aperte indicat Aristoteles dum utitur ratione illa, dicendo prima Philosophia, quæ Metaphysica est, ac proinde scientia universalis, omniumque communissima, ac universalissima de communissimo omnium, ac universalissimo subiecto debet agere, quia inter scientiam, & obiectum datur proportio, & convenientia, nam cum scientia sit mensurata per obiectum tanquam per mensuram propriam, si ipsa omnium universalissima scientia est, etiam obiectum ipsius, ut tantam amplitudinem, & universalitatem sui mensurati mensuret ac ostendat, debet esse etiam omnium subiectorum, ac obiectorum universalissimum, ne mensuratum excedat mensuram suam universalitatem, ac amplitudinem; sed solum ens ut sic, quatenus comprehendit omnia entia realia supra explicata & numerata, est omnium subiectorum universalissimum, ergo ens ut sic, est adequatum subiectum universalissima omnium scientiæ, ut est Metaphysicæ; hanc enim vim, energiam, & rationem vivacemque animi includunt illa verba, supra citata *lib. 6. Met. cap. 1.* prior scientia & prima Philosophia erit, atque adeo sic universalis, &c.

RATIONIBVS

RATIONIBVS PROBATVR
hæc conclusio.

45 Prima est, nam illud est adequatum obiectum alicuius scientiæ, quod adequatur cum passionibus, quæ in tali scientia demonstrantur, & prædicantur de subiecto illius: sed substantia vt sic, non adequatur passionibus, quæ in Metaphysica demonstrantur de suo subiecto: ergo substantia non est adequatum, &c. maior evidens est; ideo enim quantitas vt sic, est adequatum subiectum Mathematicæ, quia passionibus, quæ demonstrantur in illa scientia, sunt adequate convertibiles, cum tali quantitate, & ideo corpus naturale est subiectum adequatum scientiæ naturalis, quia attributa quæ demonstrantur in illa, prædicantur adequate de corpore naturali, tanquam de subiecto sibi proportionato, & e contra, ideo iudicium non est adequatum subiectum logicæ, quia causare scientiæ quod est attributum subiecti illius, nec directio intellectualis, adequatur cum illo: minor præcipua sic probatur, quia attributa quæ de suo subiecto Metaphysica demonstrant, est vnitas, veritas, & bonitas, sed hæc non adequantur cum substantia, cum non sit verum dicere est vnum bonum, verum, &c. ergo est substantia; accidens enim verum, bonum, &c. est quia hæc attributa adequantur enti vt sic, quod superius, & vniuersalius est respectu substantiæ & accidentis, quia verum est dicere est bonum, ergo ens; est ens, ergo bonum, sed superius non æquatur cum inferiori, nec illud quod est æquale superiori, aut maiori potest æquari vltimo modo, cum minori, & inferiori, ergo vnum, & verum quæ adequantur cum ente quod est superius respectu substantiæ, non æquatur cum substantia.

46 Confirmatur, quia substantia, & accidentia, quatenus conveniunt in ratione entis, & ens quatenus comprehendit substantias & accedens, sub ratione bonitatis, & vnitatis, &c. sunt per se cognoscibilia, quia sunt per se verum, nā id quod bonum, & vnum est, verum est atque verum, & cognoscibile idem sunt; ergo sunt per se cognoscibilia, sed à nulla alia scientia ens cognoscitur, nec nulla est scientia, quæ de ente vt sic, agat data opera, & per se, imo hoc tanquam proprium metaphysicæ locis supra positus ab Aristotele ostenditur traditum, ergo sola metaphysica agit adequatè de ente, quatenus comprehendit substantiam & accedens, vel de substantia, & accidenti, quatenus conveniunt in ratione entis. Hæc conclusio, sic patet, quia illud est obiectum adequatum alicuius scientiæ inter quod, & scientiam datur adequata proportio, & convenientia, & illud non est adequatum subiectum, in quo non reperitur æqualitas, seu adequata proportio, sed inter ens, vt sic & metaphysicam datur illa æqualitas, & proportio, quia sicut metaphysica est vniuersalissima scientia omnium, etiam ens est vniuersalissimum subiectum, & vniuersalius omni alio subiecto; substantia autem non est vniuersalior omni enti, ergo illa solum non habet adequatam proportionem cum metaphysica in esse subiecti, ergo illam habet ens quatenus comprehendit substantiam, & accidentia.

Secundo probatur principaliter, quia falsissimum est principium, seu fundamentum, quo innititur tota Adversariorum sententia, ergo falsum

erit id totum, quod illa asserit; antecedens sic probatur, nam illa asserit proprietates adequatas subiecto vt sic, esse accidentia, sed hoc est falsum, quia illa est adequata proprietas alicuius subiecti vt sic, quæ convenit omnibus contentis sub tali subiecto; ideo enim visibilitas est adequata proprietas respectu hominis vt sic, quia convenit omnibus individuis contentis sub homine in communi, & vt sic: sed accidens non convenit omnibus substantijs, à quibus abstrahitur substantia vt sic, finita, videlicet, & infinita; substantia enim infinita, quæ est Deus, non est capax accidentium: ergo accidentia non conveniunt omni substantiæ, &c. unde si solum illud esset subiectum adequatum huius scientiæ quod est adequatum respectu accidentis, deberet esse substantia solum finita, & creata, unde excluderetur Deus à ratione subiecti Metaphysicæ.

Vltimo, quia substantia vt sic non est adequatum subiectum prædicationis, & demonstrationis Metaphysicæ, ergo non est adequatum subiectum ipsius scientiæ; consequentia evidens est, ab omnibusque concessa, quia in tantum est aliquod subiectum scientiæ in quantum scientia demonstrat de illo, & prædicat proprietates, & attributa; antecedens sic probatur, quia id quod non est adequatum respectu medijs, seu rationis formalis prædicationis & demonstrationis, non potest esse adequatum subiectum respectu demonstrationis, & prædicationis, sicut ideo color albus non est adequatum obiectum visionis, quia non adequatur visibilitati, quæ est ratio formalis videndi, & homo non est subiectum adequatum Philosophiæ, quia non adequatur cum omni demonstratione, & ratione formali illius, sed substantia, vt sic, non adequatur ratione formalis demonstrationis metaphysicæ: ergo. Minor sic patet, quia medium, & ratio formalis propter quam metaphysicæ demonstrationis, sicut cuiuscumque scientiæ sunt principia illius, vt late in logica q. 1. de principijs, demonstravimus longissime, sed principijs metaphysicæ, vt sunt quodlibet est, vel non est, impossibile est idem simul esse, & non esse, quicquid producit ab alio producit, non adequatur substantiæ vt sic, quia hæc principia tam verificantur de accidentibus, quam de substantia, tam de rebus quam de modis, vt ratiocinanti patebit, ergo.

Vltima conclusio: subiectum per se adequatum metaphysicæ est ens reale vt sic, quatenus comprehendit omnia entia realia particularia, vel sunt omnia entia realia, siue creata, siue increata, siue res, siue modi, quatenus conveniunt in ratione entitatis, & essentia, subiectum autem adequatum commune, seu aggregationis, non solum sunt entia realia, sed etiam ens rationis, & ens omnino per accedens: prima pars conclusionis est expressa Aristotelis in metaphysica, tum lib. 1. tum 4. 6. & 7. & alijs in locis ubi ait clarissime, metaphysicæ agere per se de ente vniuersaliter, vt ens est, & de illis quæ per se illi conveniunt, & lib. 4. cap. 2. sic ait, ita hanc vnam scientiam speculari certum ens in quantum ens, & species eius, & species specierum, hoc est inferiora entis vt sic, vt bene explicat D. Th. sed omnia entia realia, tam creata quam increata, substantia, quam accidentia tam modi quam res per se in sunt enti vt sic, suntque ipsius inferiora per se, vt patebit ex dicendis postea in tractatu de

ente ut sic, quodque expressè docuit Aristoteles, lib. 4. cap. 2. dum dividit ens in illa omnia inferiora, ergo omnia entia realia, &c.

50. Secundo probatur ratione, quia illud est obiectum adequatum per se alicuius scientiæ quod est materia adequata respectu obiecti formalis sub quo talis scientia, sed omnia entia realia solum sunt materia adequata obiecti formalis sub quo metaph. ergo omnia entia realia sunt subiectum adequatum illius: maior evidens est ex analogia ad materiam, & formam physicam; nam v. g. illa est materia adequata physice, quæ adequat capacitatem formæ physice, & in obiectis potentiarum evidentiùs patet, nam illud est obiectum adequatum materiale, quod adequate informatur, ratione formali obiectiva talis potentie, v. g. omnia illa, quæ per se informantur cognoscibilitate ut sic, quæ est ratio formalis obiectiva intellectus sunt obiectum materiale illius, & omne id quod informatur visibilitate est obiectum materiale potentie visivæ, & in fide catholica liquido patet, quia in omni sententia, omnia illa, quæ vel sub revelationem divinam cadunt, vel cognoscibilitatem per divinum testimonium, & relationem divinam informantur, sunt obiectivum adequatum materiale illius, in quibus omnibus unum, vel alterum solum non potest dici, subiectum materiale adequatum, quia unum, vel alterum ex illis nec cognoscibilitate omni, nec visibilitate, nec omni revelabilitate adequate informatur, quis enim potest dicere obiectum materiale adequatum esse hominem respectu potentie visivæ, cum etiam paries, & leo visibiles sint, ac per consequens solus homo non informetur tota visibilitate, quæ est ratio formalis adequata visui, unde evidenter sequitur, quod homo, arbor, paries, & omnia illa, quæ visibilitate informantur sint obiectum adequatum materiale visui, quia adequata ratione formale illius informantur, & sic dicendum est de cæteris obiectis potentiarum, & scientiarum: minor prima, & præcipua sic probatur, quia ratio formalis obiectiva sub qua metaphysicæ est cognoscibilitas per omnia principia illius, ut patet ex dictis in logicæ materia de obiectis, sed nullam ex particularibus entibus realibus adequate informatur tota cognoscibilitate per principia metaphysicæ, sed æqualiter omnia entia realia informantur tali cognoscibilitate: ergo omnia entia realia informantur ratione formali metaphysicæ, & non aliquod ex particularibus entibus: maior huius syllogismi evidens est, minor sic probatur, quia omne illud informatur cognoscibilitate metaphysicæ quod cognoscibile est, & cognoscitur ab ipsa metaphysicæ, per principia illius, sed ut patebit ex discursu sequenti, metaphysicæ non solum agit de aliquo ente in particulari, sed de omnibus: ergo non solum aliquod ens particulare informatur cognoscibilitate per principia metaphysicæ, sed omnia entia realia: ergo.

51. Tertiò probatur ratione, quia illud est subiectum adequatum per se alicuius scientiæ, de quo solum agit per se, ita ut extra illud non vagetur talis scientia per se; sed metaphysicæ agit per se de omni ente reali, ita ut extra ens reale non vagetur per se, de ente enim rationis, ut supra demonstratum manet, non agit per se metaphysicæ: ergo obiectum adequatum per se metaphysicæ sunt omnia entia realia: prima pars minoris sic

patet, quia maior, Hippis, & tonforibus nota, nam illud est æquale alteri extra quod non extenditur, nec progreditur, aut vagatur id cum quo habet æqualitatem, v. g. audibile est obiectum adequatum auditui, quia extra illud non vagatur potentia audiendi: nam primo agit per se metaphysicæ de ente, & substantia increata, quæ est Deus ut demonstratum est prima conclusionem, secundo agit de substantia spiritali completa per se, videlicet de Angelo, demonstrando possibilitatem eius, & essentiam ipsius hunc in modum, quia non repugnat substantia completa spiritalis, quæ Angelus est, nec ex parte ipsius Angeli, nec ex parte primæ causæ efficientis: ergo possibilis est, quod autem non repugnet ex parte primæ causæ efficientis, ex suppositione quod ex se non repugnat, patet quia prima causa est omnipotens, omnipotentia enim omne possibile obiectum est, sed quicquid non repugnat ex se est possibile: ergo Angelus, qui non repugnat, ex se obiectum est omnipotentia, quod autem non repugnet ex se patet, quia quod substantia sit creata, & simul immaterialis nullam repugnantiam involvit, quia immateriale non excludit perfectionem substantiæ creatæ, imo ut ita loquar facilius, & possibilis est, quod prima causa producat subiectum immateriale, quia cum causa efficiens intendat assimilare sibi effectum suum, & quo effectus est similior causa eo aptior est ut fiat ab ea, sed Deus est substantia spiritalis immaterialis: ergo possibilis est, ut ita loquar, & facilius tali causæ producere substantias immateriales quam materiales & corporeas.

Dices rationem spiritus superare gradum completum substantiæ,

Contra quia esse spirituale est participabile a 52 creaturis, nam intellectus, & voluntas sunt spirituales entitates absolute & non participant illam spiritualitatem in quantum accidentia sunt, quia anima rationalis non est accidens sed substantia, & nihilominus participat perfecte rationem spiritus, ergo similiter substantia completa potest participare rationem spiritus: patet hæc consequentia evidenter, quia perfectio participabilis in Deo perfectiori modo participatur à perfectiori, quam ab imperfectiori, sed ratio spiritus in Deo est perfectio participabilis simpliciter à creatura, ut de facto participatur à Deo talis ratio spiritus in Deo existens ab accidentibus, & ab anima rationali, & substantia completa est perfectior quam accidens, & substantia incompleta, ut est anima, ergo perfectiori modo potest participare rationem spiritus substantia completa quam anima, & accidentia: maior sic patet, homo enim perfectius participat rationem vitæ à Deo, quam cætera animalia, & plantæ, & rationem substantiæ, & anima rationalis perfectius participat rationem spiritus quam intellectus, quia perfectior est essentialiter homo plantis & animalibus brutis, & anima perfectior est omni accidenti, & ratio à priori fit, quia perfectio non participatur ab aliquo propter imperfectionem, quatenus dicit negationem perfectionis, quia imperfectio sub illa ratione negationis maxime opposita est perfectioni, ratio enim opposita non est ratio contrahendi suum oppositum quia contrahens & contrahibile debet habere convenientiam & proportionem, & ideo ratio accidentalis non contrahit substantiam, nec negatio positionem, unde si ali-

quæ

qua creatura participat perfectionem à Deo, potius est propter positivam perfectionem quam habet quam propter negationem perfectionis: sed entitas magis perfecta habet eandem rationem formalem, imo habet rationem perfectius participandi: ergo potest participare perfectiori modo; unde si accidens & substantia incompleta participant perfectionem spiritus à Deo propter suam perfectionem, perfectiori quidem modo participabit illam substantia completa qua perfectior est: alia relinquo remittoque in proprium locum, ubi latius demonstrabitur hæc veritas dum de substantijs completis separatim agemus.

54 Item tradit metaphysica definitionem Angelicam, scilicet esse substantia intellectuales completa pure & adequate spiritualis; agit etiam de proprietatibus, & perfectionibus illius ut de substantia, intellectu, voluntate, &c. quæ non fugiunt lumen naturale intellectus, & ad quam cognitionem perveniendum non indigemus revelatione divina, ut videre est in Aristotele qui abunde de Angelo egit 12. *Metaph.*

55 Tertiò agit de substantia materiali, & corporea sub ratione essentia & existentia, explicando possibilitatem illius ac subsistentiam, demonstrando in quo distinguatur illa ab immateriali, & spirituali substantia, & ideo metaphysica agit de substantia ut sic, dividendo illam in substantiam spirituales, & corpoream, sed non potest agere scientia de aliquo superiori abstracto quin agat etiam de omnibus inferioribus contentis sub illo comparando illa & cognoscendo in quo conveniant, & in quo differant; ergo si agit de substantia ut sic abstracta à substantia corporea, & incorporea, necessario debet cognoscere utramque. Dices cum P. Hurtado quod metaph. non potest agere de ente corporeo cū agat de illo Philosophus, aliàs superflua esset Philosophia.

Sed contra, quia utilis est hæc obiectio faciliusque passim penè à limine salutantibus Logicam solvi solet, nam bene variæ scientiæ agunt de eodem subiecto materiali, ut videre est in Philosophia naturali, Philosophia morali, & logica, quæ licet tres distinctæ scientiæ sint, agunt de eisdem actibus intellectus, & nihilominus nulla est superflua ex illis. Philosophia etiam & Medicina de eodem subiecto materiali, nam utraque agit de corpore, & nihilominus nulla ex illis superfluit in potentijs: clariora exempla tradam, nam intellectus agit de omni subiecto materiali, cæterarum potentiarum inferiorum, nam quidquid videtur à visu, sentitur ab olfactu, auditur ab auditu, imo quidquid cognoscitur per phantasiam & imaginationem, ac denique amatur, vel odio habetur à voluntate, omne id cognoscitur, & intelligitur ab intellectu omnium entium cancellis ac terminis contineri obiectum materiale intellectus, & nihilominus cæteræ potentia inferiores non incurunt defectum redundantia, ac superfluitatis, quia ut commune proloquium multorum temporum serie venerandum, ab ipsis etiam pueris celebratum candidatisque sapientiæ dictat varias scientias posse agere de eodem subiecto materiali, dum tamen agant de eodem sub diversâ ratione formali, sic similiter licet Philosophia & metaphysica agant de ente corporeo, cum Philosophia non agit de illo sub ea ratione qua agit metaphysica, nempe sub ratione entitatis essentia, & existentia.

A. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

tia ac subsistentia, nec sub ratione cognoscibilitatis per principia Theologiæ naturalis, &c. Deinde quia Philosophia non agit de possibilitate entis corporei, nec de distinctione eius ab spiritu, sed solum disputat de illo sub ratione entis compositi ex materia & forma, & quatenus est natura, seu principium motus & quietis, cuius ratio evidens est quia unaquæque scientia debet agere de subiecto proprio sub ratione formaliter propria; & non sub ratione formali alterius scientiæ, alias inter se ipsæ confunderentur, unde cum metaphysica habeat pro ratione formali terminativam entitatem & essentiam, potest agere de omnibus quæ sub illam rationem formalem cadunt, licet aliæ scientiæ agant de illis sub diversa ratione formali, ex quo nulla illarum superflua erit, sicut licet intellectus agat ut diximus de omni subiecto materiali potentiarum, quia tamen agit sub diversa ratione formali, nulla ex illis superfluit ut diximus, sic similiter licet Philosophia tractet & agat de corpore, quia tamen agit de illo sub ratione propria formali, bene poterit agere metaphysica de eodem sub alia ratione formali sine incommodo aliquo, scientiæ enim & potentia universales possunt recte agere de subiectis particularium scientiarum, & potentiarum, sicut sensus communis de subiectis sensuum externorum sine superfluitate alienius: ergo similiter metaphysica, quæ est scientia omnium naturalium universalior, potest agere de omnibus subiectis particularium scientiarum, sicut Theologia scholastica agit similiter de homine, anima, Angelis, Deo, demonibus, cælis ac terra, ac tandem de omni subiecto reliquarum scientiarum, quia universalissima est, universalique divino testimonio innititur, ex eo solum quod agat sub divina revelatione, tanquam sub distincta ratione formali, quia tantum sufficit ad hoc ut scientiæ non se impendant nec superfluant.

Quartò agit per se de accidentibus, & modis realibus cum sint per se entia; ens enim est cognoscibile, quia cognoscibile, & verum idem sunt, cum autem ista sint vera entia, sunt vere, & absolute cognoscibilia, accidentia igitur & modi quæ sunt per se entia ac proinde per se veræ, eruntque per se cognoscibilia: quod adeo clarum est ut ab omnibus Doctoribus tanquam sine dubio, ac controversia certum concedatur, quodque clarissime asseruit Aristoteles 4. *Metaph.* his verbis. [Perspicuum est unius scientiæ esse de hisce accidentibus & substantia differere, si enim primi Philosophi non est, quisnam erit qui considerabit, sed ne idem Socrates, & Socrates sedes, perspicuum est illius scientiæ esse, & quid ea sint, & quæ illis accidant cognoscere.] Sic Philosophus quo nihil clarius potest excogitari ad nostram sententiam corroborandam & explicandam, quod præterea evidenter demonstrant series, & ordinationes prædicamentorum, de quibus nullus sana mentis dubitabit an pertineant ad metaphysicam; quare si logica de prædicamentis agit, non agit de illis tanquam de proprijs sibi subiectis, sed ea mutuata accipit à metaphysica; in prædicamentis autem sola prima ordinatio est substantiarum, reliquum autem ex quibus novem prædicamenta sunt per se accidentia, & modi reales de quibus latissime agit in tractatu de prædicamentis, ubi de illorum essentijs & proprietatibus latissime tractatur.

C Quinto.

89 Quinto, aliqui dubitant an agat metaphysica de ente extrinseco, v. g. de agente, de cognito libero & alijs concretis extrinseca denominatione constitutis; sed immerito hoc in dubium revocatur, nam illa sunt vera entia realia, quæ suam essentiam & existentiam realem habent, ut late demonstratum est in Logica, ac proinde habent veram, & propriam cognoscibilitatem dignam quidem, ut à scientia universalis per se attingi iudicetur, & ideo per se ponuntur in prædicamento; nam ultimum prædicamentum, habere nimirum vel habitus extrinseca denominatio est item quia conveniunt realiter, & vere in ratione entis, & essentia quæ est ratio formalis terminativa Metaphysicæ cum cæteris entibus realibus; quia omnia realia vera verè conveniunt in ratione entis & essentia, sed entia extrinseca, & intrinseca sunt vera entia realia; ergo conveniunt, &c.

60 Ex alio autem capite non sunt entia omnino per accidens, quia partes quibus constituuntur essentialiter respiciunt alias sibi compartes, v. g. actio respicit essentialiter entitatem agentis; cognitio obiectum cognitum, quod non habet ens omnino per accidens, sicut partes acervi lapidum ad invicem, & totum respiciunt, & per accidens componunt.

61 Ultimo certum est agere metaphysicam per se de ente ut sic, ut iam supra probatum manet ex Aristotele; nulla enim scientia agit de ente ut sic præter metaphysicam: cætera enim scientiæ ut particulares de particularibus entibus agunt; quod his verbis expressè docuit Aristoteles. Est scientia quæ agit de ente quatenus ens est, nulla enim cæterarum de ente, quatenus ens est univèrse agit, sed partem eius abscindentes contemplantur, ideoque mathematica de quanto, Philosophia de corpore, logica de actibus intellectus, & cætera de particularibus alijs entibus agunt; unde solum ad metaphysicam pertinet agere de ente ut sic, quod patet evidenter, nam ipsa solum agit de attributis, ac proprietatibus entis ut sic, v. g. de unitate, bonitate, & veritate; hæc enim attributa nullius entis particularis sunt propria, sed tantum entis ut sic; ergo metaphysica, quæ data opera, & per se agit de istis attributis, & proprietatibus ut experientia patet, per se debet agere de subiecto illatum, quod est ens ut sic, sicut per se pertinet ad Philosophum agere de corpore, & anima, quia ad ipsum pertinet per se agere de proprietatibus horum; & ad theologum per se pertinet agere de Deo, quia per se pertinet agere de infinitate, omni scientia, omnipotentia, omni bonitate, & misericordia ipsius, cuius attributa hæc sunt.

62 De ente vero omnino per accidens, ut est acervus lapidum, certum est non agere per se metaphysicam, quia res eo modo est cognoscibilis, quod est ens, sed hoc est ens omnino per accidens, & casualiter compositum; ergo est omnino per accidens cognoscibile, & ideo nulla scientia de huiusmodi entibus agit per se propter hanc imperfectionem, ratione cuius nec aliquid utilitatis, nec honestatis aliquid afferunt scientiæ, nec habent dignum esse, quod per se possit terminare ipsam; quod Aristoteles expressè docuit, clarissimeque tradidit id, 6. metaph. cap. 2. his verbis: Cum ens inquam multis modis dicatur, primum quidem de eo, quod per accidens dicitur, id statuen-

dum est nullam de eo considerationem existere, signum eius rei est, quod illud nulli scientiæ cura sit, nec active; neque effective, neque contemplative. Quid clarius unde secundum Divum Thomam explicatum loquitur Aristoteles de ente omnino per accidens, & casualiter confecto, ut est acervus lapidum, quia huiusmodi ens est omnino indeterminatum, & ideo Aristoteles infinitum vocavit, quia cum infinitis modis possit fieri, in infinitum potest multiplicari; & cum scientia determinatam finem debeat habere, non potest in huiusmodi indeterminatum ens per se directe tendere tanquam in finem.

Ultima conclusionis pars sic probatur breviter, illa omnia quæ attinguntur, & cognoscuntur ab aliqua scientia, sive per se, sive per accidens, ita ut extra illa nullo modo vagetur talis scientia, est subiectum adequatum aggregationis, seu commune illius, sed omnia illa quæ in conclusione assignantur cognoscuntur sive per se sive per accidens à metaphysica, ita ut extra illa minime vagetur; ergo hæc omnia sunt obiectum adequatum aggregationis illius; maior est evidens ut constat ex notabili; ultima pars minoris sic probatur; quia prima pars minoris quoad entia realia patet apud omnes. Quoad ens rationis & omnino per accidens nimirum, quod saltem indirecte, & per accidens attingatur à metaphysica, sic patet, quod à nemine negatur; quia de ente per accidens potest demonstrari quod non habeat propriam unitatem explicando quid sit unitas propria; & quod non sit ens per se, explicando quid sit essentia & existentia per se. De ente autem rationis demonstratur quod distinguatur ab intellectu, & intellectione per illud medium. Quidquid producit, ab alio producit; item quod sit imperfectius essentialiter ente reali, quia dependet essentialiter ab illo, hæc autem media omnia metaphysica sunt; ergo etiam demonstrationes. Probatur consequentia, quia ad illam scientiam pertinet demonstratio ad quam pertinent media seu rationes formales demonstrationis, sed media illa existentia, essentia, unitas, & dependentia pertinent ad metaphysicam; ergo & demonstrationes, etiam quæ habent pro obiecto ens per accidens, & ens rationis. Ex quo evidenter colligitur quod metaphysica habeat pro subiecto inadæquato ens per accidens, & ens rationis; quia illud est obiectum, seu subiectum inadæquatum alicuius scientiæ, quod cognoscitur, & obijciatur scientiæ non adæquate per omnes actus sed per aliquos, sed ens rationis, & ens per accidens attinguntur, & obijciuntur metaphysicæ; ergo sunt obiectum inadæquatum; ergo includuntur in obiecto adæquato non per se ut demonstratum manet: ergo in subiecto adæquato per accidens, seu aggregationis.

SECTIO ULTIMA.

Solvuntur argumenta contraria.

AD primum argumentum primæ sententiæ respondetur negando antecedens quoad illam particulam, causæ, quia non est necesse, ut de quocunque subiecto demonstrantur causæ reales, nam vnaquæque demonstratio debet esse secundum exigentiam subiecti, sed potest dari ali-

quod

quod subiectum sine causa sui; ergo etiam demonstratio non debet tendere in causam illius, sed sufficit quod explicetur in tali scientia principia complexa universalis comprehensiva omnium subiectorum, quæ principia etiam dantur in metaphysica, & verificantur etiam respectu Dei, unde ad scientiam sufficiunt principia cognitionis, & non est necesse demonstrare principia, seu causas rei, ut respectu Dei patet evidenter; nam omnes demonstrationes Dei, vel sunt à posteriori & per effecta solum, vel per principia complexa metaphysica, quæ ut diximus, sunt principia cognitionis, & non rei; atqui nec effectus nec principia complexa sunt causæ reales subiecti circa quod sunt demonstrationes; ergo non est necesse quod omnis demonstratio procedat per causas reales.

65 Ad secundum argumentum concedo maiorem, & nego minorem, ad probationem minoris distinguo, vno illius intentionalis intuitiva, & quæ attingit Deum, ut in se est immediate concedo, vno intentionalis abstractiva, & mediata nego; ad probationem consequentiarum, & minoris, nego causalitatem illam; quia non ideo est vno hypostatica supernaturalis, quia vnitur quomodocumque Deum, sed quia vnitur intrinsece ut in se est sine aliquo medio ipsum; cognitio autem abstractiva cum vniat Deum non immediate sed medijs creaturis, & tota ratio cognitionis sumatur à medio, seu ratione formali illius, inde est quod talis cognitio naturalis sit, ubi licet Deus sit ens supernaturale, quia medium attingendi ipsum est naturale; unde facile respondetur ad primam probationem de gratia iustificante, de qua verum est dicere non posse cognosci naturaliter quia in se supernaturalis est, nullamque connexionem habet cum effectu naturali. Deus autem cum licet sit sub vna ratione ens supernaturalis, quatenus nimirum causat effectus supernaturales, vel quatenus potest supernaturaliter terminare media vniione hypostatica naturam creatam, & sub his rationibus non possit naturaliter cognosci, attamen cum ipse Deus sit author naturalis, quatenus causat entitates naturales sub hac ratione medijs ipsis creaturis, quæ connectuntur cum suo creatore potest intellectus manu duci ad cognitionem illius, quia sub hac ratione non ens supernaturalis, sed naturale est, siquidem naturaliter se communicat media effectione, & participatione naturali, unde recte potest à scientia naturali naturaliter cognosci, quia medium, ut supra diximus deveniendi ad cognitionem Dei naturale est, quod minime habet gratia sanctificans, cum omnis causa, & effectus illius quæ possunt esse medium cognoscendi ipsam sint supernaturales entitates.

66 Ad tertium respondetur, quod illa calculatio non solum probat non posse metaphysicam cognoscere Deum, sed à fortiori probat Deum non videri de facto à Beatis, quod est hæreticum, quia ad videndum obiectum perfectum ut vnum requiritur visio ut vnum, & ad duo, ut duo; ergo ad infinitum obiectum visio infinita, sed nulla visio beatorum infinita est; ergo nullus beatorum videt Deum; quare dicendum est argumentum tantum probare, ut nihil probet; unde dicimus, quod sicut potest dari lumen, & visio Dei infiniti, non tamen infinite visi, ita posse dari cognitionem naturalem abstractivam evidenter.

R.P. Aldeph. de Peñañiel. Theol. Schol. Tom. I.

dentem terminatam ad Deum infinitum, non tamen infinite cognoscendum, & ideo non esse necessarium, quod talis cognitio sit infinita sed tantum quod sit alterius & perfectioris rationis, quia licet Deus infinitus sit, ratio tamen formalis cognoscendi illum est finita, quare ex deductione ibi facta non colligitur infinitudo in visione, nisi tantum secundum quid, & obiectiva, sicut quado argui solet, quod offensa contra personam effectam habeat tantam malitiam v. g. ut vnum, & contra perfectiorem, maiorem v. g. ut duo; ergo contra infinitam habebit infinitam malitiam; ubi illa infinitudo non est formaliter, sed tantum obiective, & secundum quid; ex quo sequitur, quod res quæ talem infinitudinem habet, sit altioris, & perfectioris rationis, quare in forma respondeo distinguendo; perfecti obiecti ut vnum materialis & formalis concedo, materialis tantum nego, ut in casu nostro contingit, quia potest dari cognitio imperfectissima, ut est erronea, & hæretica circa obiectum bonum & infinite perfectum materiale, ut est hæretica Arriana circa Deum, quæ talis est propter solam imperfectissimam rationem formalem; ex quo evidenter sequitur, quod perfectio cognitionis non est delumenda ab obiecto materiali tantum, sed simul cum formali; consequentia etiam sic distinguitur; infinite perfectum tam materialiter, quam formaliter concedo; materialiter tantum nego; unde cum licet obiectum materiale metaphysice sit infinitum, quia est Deus, cum tamen obiectum formale cognitionis metaphysice circa Deum sit finitum, creatura nimirum, & lumen creatum, inde est, quod talis cognitio non sit infinita, sed finita.

Ad Primam secundæ sententiæ distinguo maiorem: esse collectionem omnium subiectorum, quæ per se attinguntur à scientia, concedo; quæ per accidens, nego; unde cum ens rationis quod ponitur in illa collectione, & ens omnino per accidens non sint subiecta per se, inde est, quod illa collectio, licet sit commune subiectum, adæquatum aggregationis, non est tamen subiectum adæquatum per se.

Ad confirmationem respondeo concedendo quod talis actus sit metaphysicus, negando tamen quod subiectum talis actus sit subiectum per se, sed per accidens.

Ad secundum responderetur per se, & directe nego, per accidens concedo; unde hoc modo est verum, quod ad metaphysicam pertineat.

Ad argumentum tertiæ sententiæ, respondeo negando ultimam partem antecedentis, quia falsum est quod accidens sit proprietas substantiæ ut sic, quatenus abstrahit à divina, & humana, ut probatum manet.

QVÆSTIO III.

Utrum Deus sit subiectum attributionis Theologia.

SECTIO I.

Adversaria sententia proponitur.

Prima sententia asserit Deum non esse subiectum attributionis; sic Pater Pereira, Arauxo, & alij, & probatur sic, i. ex Aristotele in Metaphysica lib. 7.

B 2

lib. 7.